

www.e-rara.ch

Plutarchi Cheronei Graecorum Romanorumque illustrium vitae

Plutarchus

Basileae, anno 1549

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2613>

Euagoras Guarino Veronensi interprete

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

A plurima inter heroas præclara facinora patrata sunt. Homerum poëtam tempore quidem plurimis, uirtute autem ac facultate omnibus superiorē meritò primū legimus, maximū ex eo & ad dicendī copiā, & ad sententiarū grauitatē, & ad plurimarū rerū cognitionē, præsidium habituri. Dicemus autē de illius poësi, si prius aliqua de ipso poëta in mediū attulerimus. Homerū igitur Pindarus tum Chium, tum Smyrnæū fuisse ait: Simonides Chium, Antimachus ac Nicander Colophonū; Aristoteles autē Ietem, Ephorus uerò historicus Cumæum; quidam etiā Salaminium, quidam Argiuū fuisse dixerunt. Aristarchus autem ac Dionysius Thrax Atheniensem putarūt. Filius uerò à quibusdam Mæonis & Critheidis, ab aliquibus Meletis fluminis existimatus est. Atq; ut de genere ac patria, ita & de temporibus quibus fuerit, dubitat. Aristarchus enim eo dicit Homerū tempore floruisse, quo in Ioniā colonia deducta est, post Heraclidarū uidelicet descensum annis sexaginta, cum ante Heraclidarū gesta annis octoginta bellū Troianū fuisset. Crates uerò ante Heraclidarum descensum Homerū fuisse confirmat: quod si ita est, non integri octoginta anni inter Troiani belli tēpora, & Homerī genesim reperient interfuisse. Verū plures in hanc sententiam cōueniunt, Homerū annis centū post bellum Troianū natum, non multū ante Olympiā, à quibus Olympiadarū anni numerantur. Sunt autē illius poëmata duo, Ilias & Odysea, ambo nō ab ipso poëta, sed ab Aristarcho grammatico in numerū uersuum diuisa atq; distincta. Ilias quidem gesta Græcorum & barbarorum propter Helenę raptum, sed præcipuè Achillis præclara in eo bello facinora continet. Odysea uerò, Ulyssis ex Troiano bello in patriam reditū, quōtq; ille labores errando pertulerit, atq; ut reuersus ultus fuerit inimicos, ostendit. Ex quo apparet sapientissimū poëtam in Iliade quidē corporis uires, in Odysea uerò animi uirtutes exequutū. Si nō solum uirtutes, sed etiā uitia, dolores quoq; latitias, timores, atq; cupiditates hominū describit, iniquū tamen est accusare poëtā quod non bonos tantum, uerumetiam malos mores expresserit. Si quidem sine utriusq; nō fiunt præclara facinora, & licet semper auditorib. è multis ac uarijs eligere meliora. Finxit etiam Homerus deos uti hominū consuetudinē atq; colloquijs, non modò ut eiusmodi figmenta & delectarent & admirationē relinquerent, uerumetiā ut per hoc deos rerum humanarum curam habere declararet. Vniuersa deniq; apud eum gestorū expositio & admirabilis & fabulosa contextitur, ut possit sedulos reddere, atq; obstupefactos tenere lectores, utq; magna atq; sublimi oratione reddatur illustris. Ex quo interdum uidetur poëta quædam præter rei ueritatem scripsisse: non enim semper probabilia persequutus est, sed persæpe effinxit res mirandas atq; sublimes. Quapropter non modò res, sed etiam uerba & extulit, & à communi consuetudinē transtulit. Quod autem noua quædam & admiranda, & quæ non facile in consuetudinē ueniunt semper adducat, nemo ne mediocriter quidem doctus ignorat. Quinetiam si quis in his fabulosis narrationibus diligenter singula quæ dicuntur attenderit, poëtam hunc omni humanitate atq; doctrina imbutum fuisse reperiet, intelligetq; plurima illum tanquam semina & orationis & actionum uariarū posteris non solum poëtis, uerumetiam oratoribus, historicis, atq; philosophis reliquisse.

Euagoras.

GVARINO VERONENSI INTERPRETE.



VM uiderem, ô Nicocles, te non solum rerū pulchritudinē atq; copiā, uerumetiam choris & musica gymnicsq; certaminibus, necnon equorum trirēmiūq; cursibus funus paternum honorantem, nihil quod ad huiusmodi rerum splendorem pertineret relinquentem, putauī fore ut Euagoras (si quis sensus de his quæ in uita fiunt mortuis inest) libenter & hæc acciperet, gauderetq; aspiciens tuam erga se curam ac magnificentiam; sed multo maiorem gratiam quàm reliquis omnibus haberet, si quis ipsius præclara facinora atq; pericula dignè narrare posset. Etenim uiros magnanimos honorisq; cupidos non solum pro rebus bene gestis laudari uelle, uerumetiam pro uita honestam mortem optare reperiemus, maiusq; studium de sua gloria quàm de uita habere, deniq; omni cura atq; diligentia eniti, ut immortalē sui memoriā derelinquant. Magni ergo sumptus nihil tale efficere possunt, sed opes duntaxat atq; diuitias ostentant. Eorum uerò qui in musica alijsq; certaminibus se exercent, hi quidem suas uires, alij uerò suas artes demonstrantes, seipos gloriosiores constituunt. Oratio uerò si eleganter & ornate illius res gestas narrauerit, semper memorabilem Euagoræ uirtutē apud omnes mor

Isocratis

C tales efficiet. Cōueniebat itaq; ut aliij uiros, si qui praestantes ac boni sua tempestate extitissent praclaris laudibus extolleret, quod uidelicet & hi qui aliorum facta ornare possunt, cum non apud ignaros uerba facturi sint, eos quos honestare uolunt, ueris laudibus persequantur, & iuniores ardentiori studio afficiant ad uirtutem, quum, quibus se meliores praestiterint, his ampliores laudes se consequuturos sciunt. Nunc autem quis non languescat, segniorq; ad uirtutem non reddat, cum eos qui tempore Troiani belli atq; antea fuere, celebratos carminibus & laudibus, decantatosq; tragœdijs animaduertit, seipsum autem prospiciat, etiã si illos omnes probitate & uirtute uinceret, nunq; tamen similes laudes assequuturum. Sed horum profectio causa est inuidia, cui solum hoc boni adest, quod maximum malum inuidis afferre solet. Quidam enim sic deprauati natura sunt, ut libentius eorum quos ignorant an unquam fuerint, q; eorum quibus plurimis beneficijs astricti sunt, laudes audire uelint. Non tamen his qui ita male sentiunt inferuire cordatos decet, sed hos quidem negligere, alios uero ut laudes eorum audiant, de quibus dicere iustum est, assuefacere debemus, praesertim cum & artibus, omnibusq; alijs rebus incrementa allata uideamus, non per eos qui acquiescunt his quae ab alijs instituta sunt, sed per eos qui & parua dirigere, & non bene instituta mutare audent. Nec ignoro difficile factu esse quod me facturum recepi, cuiuspiam uirtutes soluta oratione laudare. Cuius rei maximum signum, quod hi qui philosophiae operam dant, de multis uarijsq; rebus dicere audent, de talibus autem nullus unq; ipsorum aggressus est dicere. In quo ipsis danda ueniam censeo. Nam poetis multa dantur, quibus suum ornare carmen possunt. His enim & deorum cum hominibus congressus, tum disceptationes & certamina quibus cum uolunt, fingere licet; & cum haec narrare uoluerint, non eadem uerborum lege qua oratores, astringuntur. Itaq; non solum uerbis usitatis, uerum etiam nouis, translatis, & peregrinis, & omni denique dicendi genere suam poesim ornare possunt. Oratoribus autem nihil tale conceditur, sed ipsi & uerbis usitatis, & sententijs non nisi ad res pertinentibus, strictiori quadam lege utendum. Ad haec illi quidem omnia numeris & metris scribunt, his uero nihil tale concessum est; quae tantam gratiam habent, ut quamuis nec uerba idonea, nec graues sententiae sint, mensura tamen quadam & numerorum concinnitate auditores demulceant. Quanta autem horum sit uis, illinc facile perspicitur potest. Nam si quis eorum poematum quae probatissima habentur, uerba quidem & sententias relinquat, mensuram autem dissoluat, multo profectio opinione quam nunc de his habemus, inferiora uidebuntur. Verum enim uero quamuis poesis hoc tantum praestet, haud tamen a scribendo desistere debemus, sed tentandum est, si soluta oratione uiros probos ac praclaros meritis laudibus honestare ualeamus, nihil deterius ipsi qui carminibus, aut numeris eos laudant. Primum ergo de ingenio naturaeq; Euagore, quibusq; maioribus ortus sit, etsi multis notum arbitror, aliorum gratia dicendum uideatur, ut omnes scire possint, q; magnis & praclaris exemplis maiorum relictis, nihilo inferiori se praestiterit. Semideos ergo generosissimos, qui a Ioue genus ducunt, esse, omnes uno ore consentiunt. Hos autem ipsos si inter se conferre uoluerimus, nemo est qui Aecidas ceteris preferre dubitet. In alijs generibus, hos quidem uirtute praestantes atq; insignes, alios uero obscuros inferioresq; reperiemus; at omnes qui Aeaco orti sunt, clarissimi fuere suo tempore. Aeacus autem qui Ioue satus est, a quo Teucidarum genus initium sumpsit, tam ceteris uirtute praestitit, ut quum maxima siccitate in Graecia plurimi hominum corrumperentur, nullumq; malo huic auxilium inuenirent, postq; magnitudo calamitatis excreuit, eum ciuitatum principem adierint, rogantes ut tantum malum tantamq; pestem ab eis propulsaret. Sperabant enim propter ipsius generositatem atq; eximia pietatem, q; celerrime a dijs praesentium malorum liberatio nem inuenire. Nec ea spes uiros fefellit, sed uoti copotes facti, in Aegina, ubi uotum ille praesensq; fecerat, commune omnibus Graecis sacrum aedificauere. Atq; per id temporis donec inter homines fuit, summa cum gloria uitam duxit; postq; uero migrauit e uita, cum apud Plutonium Proserpinamq; maximos honores assequutus esset, ad iudicandas animas eis asseuisse fertur. Istius autem Telamon & Peleus filij fuere, quorum alter cum Hercule contra Laomedonem militans, propter sua egregia facinora ingentibus praemijs donatus est. Peleus cum in pugna contra Centauros strenue dimicasset, multisq; alijs bellis atq; periculis probatus esset, Thetida Nerei filiam immortalē, quamuis ipse mortalis, uxorem meruit, atq; ex omnibus quae antea fuere, solum in istis nuptijs Hymenaeum deos cantasse fertur. Inde Ajax, Teucerq; a Telamone, Achilles uero a Peleo orti sunt, qui maximum ac manifestissimum argumentum suarum uirtutum dedere. Non enim solum in suis ciuitatibus locisque quibus habitabant primi fuere, sed cum Graeci contra Troianos expeditionem fecissent, multiq; utrinque coacti essent, nemo denique uir clarus qui his non adesset periculis, inueniri posset, omnibus Achilles longè praestitit. Ajax uero post illum facile omnes superauit. Nec Teucer horum genere indignus, ceteris

A cæteris inferior habitus est. Qui postq̄ unà cum Græcis depopulatus esset Troiam atq; diruisset, Cyprum petijt, urbemq; ædificauit, quam Salaminā antiquæ patriæ nomine uocauit, genusq; reliquit quod nunc regno potitur. Tam igitur præclara facinora maiorū à primordio generis Euagoræ fuere. Cùm igit̄ isto pacto urbs ædificata esset, principiò hi qui à Teucro geniti sunt, regnū obtinebant; postero inde tempore uir quidā exul à Phœnicia in Cyprū uenit, hic cùm maximè ab eo qui tunc tēporis regnabat cultus esset, maximasq; accepisset potestates, harū rerum non habuit gratiā, sed in regem qui eum hospitio acceperat, malus ingratusq; existens, ac ad præripienda aliena callidus, benefactorē suū ex regno eiecit, ipse uerò imperio potitus est. Inde cùm rebus tam sceleratè gestis diffideret, suumq; statum stabilire uellet, ciuitatem effecit barbarā, insulamq; uniuersam regi Persarū in seruitutē dedit. Rebus ita constitutis, Euagoras nascitur; de quo diuinationes & oracula, uisq; in somnis, quibus hominū naturam excedere uideri potest, relinquere malo, nō ut his rebus fidem nō adhibeā, sed ut omnibus apertum faciam, tantū me abesse ut de eo aliquid confingā, ut etiam ea prætermittā, quæ olim paucis quibusdam, non ciuibus uniuersis nota fuisse existimem. Sed cùm de eo dicturus sim, ab his quæ omnes fatentur, initiū faciam. Puer nempe existens honesta forma, robustus atq; temperatus fuit, quæ bonorū omnium eius ætatis decentissima uident̄. Horum aut̄ omniū testes afferre possumus: nam tēperantiæ, eos ciues qui unà cum eo fuerunt erudiri: pulchritudinis, omnes qui eum uiderunt; roboris deniq; ea certamina quibus ille æquales superauit. His deniq; cùm uir factus esset, fortitudinē, sapientiā, iustitiāq; adiunxit, nec mediocriter quemadmodū cæteri, sed horū quodlibet egregia quadā cum excellentia habuit. Tantū enim corporis uirtutibus animiq; præstitit, ut cùm eum intuerentur qui tum in imperio cōstituti erant, stupefcerent, & non mediocri timore de principatu suo afficerentur. Putabāt enim nullo modo fieri posse, ut is qui talī ingenio præditus esset, priuatus uitam degeret. Inde cùm eius honestissimos mores inspiciēbant, tantā ei adhibebant fidem, ut putarent, si quis in eos delinquere auderet, sibi Euagoram adiutorē fore. Et cùm tam uaria ac diuersa de eo esset opinio, nihil tamen horū eos fefellit. Nam neq; priuatus uitam egit, neq; in eos aliquid cōmisit, sed tantā de eo prouidentia deus habuit, qui honestè regiam dignitatē assumeret, ut omnia quæ per impietatem fieri necesse erat, per alium patrentur: ijs uerò quibus sanctè ac iustè imperium affe-

B qui poterat, Euagorā referuauit. Quidā enim qui per id tempus in potestate erat, per insidias regem trucidauit, Euagoramq; cōprehendere conatus (putabat enim nullo pacto principatū obtinere posse, nisi illum è medio tolleret) sed Euagoras pericula effugiēs, Solos Ciliciæ se recepit. Nec eandem habuit mentē quā alij qui in eiusmodi calamitates incidunt. Illi enim cùm imperio excidēre, humiliores animos habere solent; ipse uerò postquam patriam fugere coactus est, in tantum animi magnitudinis uenit, ut cùm antea priuatus esset, nō putaret sibi sine imperio esse uiuendū; neq; cum uagis & exulibus alijsq; hoc genus hominū, reditū quaesiuit, indignos precari atq; colere cōtempfit, sed eam occasionē sumens, quā omnibus qui pietatē colunt sumi oportet, ut suas scilicet iniurias laceffiti ulciscantur, optauit uel uictor potiri imperio, uel superatus occumbere. Itaq; cùm quinquaginta ferè hominū, ut plurimi ferunt, coëgisset, cum his reditum in patriam parauit: unde & illius ingenij, & qua apud alios opinione esset contemplari possumus. Nam cùm tam paruo uiorum numero ad tam ingens facinus nauigare deberet, sibiq; omnia grauiā immīnerent quæ in huiusmodi periculis esse solent, non tamen ille elanguit, nec ullus eorum quos adhortatus fuerat in tanto discrimine ab eo defecit, sed tanquā deum aliquē sequerent̄ fidem seruare: ipse uerò tanq; meliorem hostibus exercitū haberet, uel pugnae euentū prospiceret, animo affectus uidebatur, id quod ex rebus quas gessit intelligere licet. Nam cùm in insulam descendisset, non putauit oportere locum munitum capere, sedq; in tuto collocare, ac circūspicere si aliqui ciuium sibi auxilium ferrent: sed eadē nocte ut primū facultas data est, perfracta porta urbem ingressus, cum suis ad regiam irruit. Qui autem ea tempestate tumultus acciderint, quiue alijs terrores euenerint, quæ deniq; ex hortationes eius fuerint, quorsum attinet prolixius exponere moramq; trahere? Cùm uerò hi qui circa tyrannum erant pugnarent, reliqui autem ciues cum illius principatum, tum huius uirtutem metuentes quietem agerent, pugnans solus contra multos, cumq; paucis contra omnes inimicos, non antea destitit quā regiam in suam potestatem redigeret, & inimicos ultus amicis auxilium ferret. Ipse igitur ciuitatis imperio potitus est, & generi suo patrios honores restituit. Arbitror profectò si nihil aliud memorare uelim, sed hic orationi finem imponere, ex his quæ diximus, facile esse & Euagoræ uirtutem, & egregia eius facta cognoscere, Non

Natiuitas.
Fidē præstruit
orationi.

Pueritia.

Virilis ætas.

Prouidentia
facti.

Magnanimitas
in aduersis.

Regnum ut sibi
comparauerit.

Isocratis

C tamen his cōtentus sum, sed ex his quæ sequent̄ hæc magis manifesta fore existimo. Nam cum tempore uniuerso tot reges totq; tyranni fuerint, nullus tamen hunc honorē adeptus est, nec honestius nec iustius. Si igitur cum eorum quolibet facta Euagoræ cōparare uoluerimus, fortasse nec nostra oratio auditorib. grata esset, nec tempus ad dicendum sufficeret. Sin aut̄ seligamus quosq; probatissimos, cumq; his Euagorā comparemus, multò breuior erit oratio, nec minus propositum assequemur. Eis qui à parentibus regna acceperunt, quis est qui Euagoræ pericula nō anteponat; neminem enim adeò segnem & ignauū esse existimo, ut malit à progenitoribus sumere imperiū, quàm sanctè quemadmodū ille assequens, suis liberis relinquere. At qui omnium antiquorū qui in patriam rediere, hi profectò qui à poëtis inducti sunt, celeberrimi uidentur; hi enim non solum præclaros reditus eorum qui antè fuerint, nobis cōmemorant, sed nouos quosdam ipsi fingunt. Nullus tamen eorum effinxit quenquā, qui tam grauib. periculis ac terroribus in patriam redierit, sed finxere quamplurimos fortuna, nōnullos uerò dolis ac fallacijs regiam dignitatē accepisse. At qui Cyrum præ cæteris qui postea fuerūt admirantur. Is enim Medis abstulit, Persisq; quæsiuit imperiū: sed tamē iste Persarū exercitū Medos uicit, quod ipsum multi Græcorū barbarorumq; præstare potuissent. At iste corporis animiq; uirtute quamplurima ex his quæ dicta sunt, tacere uisus est. Deinde ex Cyri expeditione nō satis liquet an pericula Euagoræ subire potuissent: at ex his quæ hic fecit, omnibus constat quòd facilè & illa opera esset aggressus. Præterea huic quidem omnia iustè & sanctè facta sunt, illi autē nōnulla impiè euenere. Nam iste inimicos perdidit, Cyrus autē matrem parentem interfecit. Itaq; si aliqui utriusq; nō rerum magnitudinē, sed uirtutem metiri uelint, nō iniuria Euagoram maioribus laudibus honestabunt. At qui si breuiter nullamq; inuidiā timentes audaciter loqui oportet, nullus neq; mortalis, neq; semideus, neq; immortalis deniq; reperietur, qui summa cum pietate regnum acceperit uel honestius, uel maiori cum gloria. Quibus rebus hoc modo quis maximè credere poterit, si nō ualde repugnans his quæ dicuntur, conetur exquirere quonam pacto utriq; imperarint. Nolim enim uideri (quoquo modo res se habeant) prompto animo uelle magna dicere, sed rei ueritate inductus, ita audaciter de his differere: quoniam si paruis in rebus ipse præstitisset, humilem nempe orationem de eo habere æquum fuerat:

Comparatione ad alios eius facta amplificat.

D nunc autē omnes fatentur ex bonis omnibus humanis & diuinis nihil maius regno, nihil admirabilius, nihil deniq; maiori reuerentiā dignius reperiri posse. Qui uerò, quod est omnium honestissimū, honestissimè assequutus fuerit, eum quis rhetor, quis poëta, quis demum orationis inuentor, pro rebus gestis dignè laudare poterit: Non ergo cum is tam clarus fuerit, in cæteris inferior reperietur. Sed in primis cum natura ingeniosissimus esset, mentēq; haberet ad rectè faciendū aptissimā, nihil tamen negligenter, nihil temerè aut inconsultè putauit esse faciendū, sed quærendo consulendq; omni cura plurimū temporis cōsumebat. Putabat enim si animū suum bene instituisset, bene se & regnum suum habiturum; nec eos satis admirari poterat, quicunq; aliorū gratia animi curam gerunt, ipsius uerò animi nihil pensi habent. Sed & circa negocia resq; cognoscendas eiusdem sententiæ fuit. Quippe cum eos qui summa diligentia omnia faciunt, q̄ minimo dolore affectos animaduerteret, ueramq; animi quietē non in ocij, uerum in bene agendo & tolerando esse, nihil nō exploratū reliquit, sed tanta diligentia res omnes tenebat, adeoq; unumquenq; ciuium nouerat, ut neq; insidijs iniqui præoccupare, neq; æqui eum latere possent, sed omnes debita ferrent præmia. Poënis muneribusq; afficiebat ciues, nō secundū ea quæ ab alijs acceperat, sed quorum ipse erat conscius, iudicans. Nec tamen in his quæ quotidie accidebant, quāuis in talibus curis esset constitutus, ullo errore tenebat, sed ita piè & humanè ciuitatē gubernabat, ut omnes qui illuc uenirent, magis eos qui eiusmodi regi obtemperarent, q̄ eum tali imperio felicem arbitrentur. Vniuerso uitæ tempore nemini iniuriā intulit; bonos in precio habuit; semper in omnes iustū imperiū exercuit; iustè delinquentes puniuit; cum nullius consilio egeret, amicos tamen cōsulebat. A familiaribus se uinci multis in rebus patiebatur, at omni in re superabat inimicos; nec cōtractione frontis, sed uite institutis captabat reuerentiā. Nihil ei sine ordine, nihil sine modo agebatur, sed quæ uerbis promiserat, haud secus fidē seruabat, q̄ si iureiurando deuinctus esset. Non his quæ fortuna, sed quæ sua uirtute quæsierat gloriabatur. Amicos quidē alios beneficijs, alios uerò sua magnanimitate sibi morigeros faciebat. Non quia multis grauis ac molestus foret, terribilis erat, sed quia multò aliorum ingenia superabat. Non parebat uoluptatibus, sed dominabatur, paucis laboribus multum ocij quærens, sed non propter parum ocij magnos labores subterfugiens, Omnino nihil reliquit quod regibus adesse decebat, sed ex omni repub. quod est

Pindarus: ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι, ἢ δὲ ἐχάστῳ κρυφῶτα βασιλεύσει.

Virtutes ueræ regie.

A est optimū elegit. Namq; colēdo multitudinē popularē, ciuilē autē repub. iustē gubernan-
do, rei militaris peritū bene in periculis cōsulendo, regalē deniq; his omnibus excellendo,
sele ostendit. Quòd autē his alijsq; pluribus præditus fuerit Euagoras, ex his quæ gessit fa-
cilius intelligi potest. Nam cum ciuitatē effectam barbarā propter Phœnicū imperiū, neq;
recipientē Græcos, neq; callentē artes, neq; emporijs utentē, neq; possidentē portus, acce-
pisset, hæc omnia direxit, ac in super imperij fines protulit, mœnibusq; urbem cinxit, trire-
mesq; ædificauit, alijsq; apparatus ciuitatē ita auxit, ut à nulla Græcarū ciuitatū superare
tur. Ad eò deniq; potentē effecit, ut eam multi qui antea cōtempserant, formidarēt. At qui
ciuitatē aliquā tam breui in tantū magnitudinis accrescere nullo pacto fieri potest, nisi ali-
quis iisdem moribus quibus Euagoras præditus sit, quemadmodū paulò antè cōmemora-
uimus, eam gubernaret. Itaq; haud uereor ne maiora q̄ fecerit dicere uidear, sed multò ma-
gis, ne ab eius præclaris factis superatus appareā. Quis enim oratione huiusmodi ingeniū
attingere queat, qui nō solū ciuitatē suam præclarā effecit, uerum etiā uniuersam circumiā-
centem insulam in mansuetudinē redegit & modestiā. Nam anteq; Euagoras potiretur im-
perio, ita feri & immanes erant, ut eos principes optimos iudicarent, quicūq; crudelissimè
in Græcos affecti essent. Nunc uerò in tantū immutati sunt, ut inuicem certent, qui magis
Græcorū studiosi esse uideant, ac plurimi eorū filias nostrorū uxores accipiunt, ut ex his li-
beros habere possint. Magis enim græcis & rebus & studijs, quàm quæ apud eos sunt, gau-
dere uideas: ac plures circa Musicam aliasq; disciplinas his locis in morant, q̄ quibus antè
consueuerāt. Horū omniū Euagoram causam fuisse nemo dubitat. At illud profectò maxi-
ma cōiectura illius & morū & sanctitatis est, quòd plurimi Græci probi honestiq; uiri pro-
prias deserentes patrias ut cum eo habitarent, in Cyprum se cōtulere, putantes regnū Eua-
goræ nō solū suis rebus pub. cōmunius, uerum etiā stabilius & iustius, quos omnes no-
minatim dicere haud facile esset. Conona uerò qui propter plurimas suas uirtutes Græcis
præfuit, quis nescit cum eius ciuitas ingenti calamitate foret oppressa, alijs posthabitis om-
nibus, ad Euagoram se contulisse, dijudicantem apud illum suæ salutis refugiū esse firmis-
simū, ipsumq; Euagoram celeriter patriæ auxiliatorē fore. Cum antea Conon multa rectè
fecisset, nulla in re tamen melius quàm in his cōsulere uisus est. Multa enim bona propter
B aduentū in Cyprum, & facere & pati ei contigit. Primū quidem, cum nunquam antea alter
cum altero uersatus esset, pluris seipso fecere, quàm si prius fuissent familiares: deinde uni-
uersum tempus summa cōcordia uixere, deq; nostra ciuitate eandem habuere sententiam.
Nam cum eam sub Lacedæmoniorū imperio, uarijsq; mutationibus exagitata uiderent,
grauiter molesteq; ferebant, in eaq; re suo uterq; egregiè functus officio est. Illi enim natu-
ra erat patria, hunc autē propter multa magnaq; beneficia lege lata ciuitate donauerūt. Ip-
sis igitur cogitantibus, quonam pacto tantis calamitatibus Athenienses liberarēt, celeriter
Lacedæmones opportunitatē præbuere. Nam cum Græcorū imperio terra mariq; potiren-
tur, in tantam dominandī cupiditatē uenere, ut totius Asiæ imperiū affectarent. Illi igitur
opportunitatē sibi datam fumentes, ducibus regis dubitantibus quomodo rebus uti oport-
teret, eos admonere ut nō terrestri, sed nauali prælio cum Lacedæmonijs certarent. Puta-
bant enim si eos pedestribus copijs superassent, ea solū quæ in cōtinenti essent bene habi-
tura: at si nauali pugna uictores essent, uniuersam Græciam huius uictoriæ participem fo-
re: quod certè contigit. Nam cum regis duces eis obtemperassent, magnaq; coëgissent clas-
sem, Lacedæmonij debellati sunt, atq; imperiū amisere, Græci uerò sunt liberati. Athenien-
ses autem aliquam antiquæ gloriæ partem recepere, sociorumq; duces sunt cōstituti. Hæc
omnia duce Conone, Euagoraq; adiutorē seipsum præbente, uiresq; plurimas afferente,
facta sunt, quorū gratia nos eos maximis affecimus honoribus. Nam ipsorū statuas prope
Iouis seruatoris simulacrū ereximus, ut illius & horum utriusq; beneficiorū magnitudinis
mutuæq; amicitiae monumentū esset. At Persarū rex non eodem modo erga eos animatus
fuit, sed quanto maiora & præstantiora fecere, tanto magis eos formidauit. Sed de Cono-
ne aliàs. Quòd autem ita erga Euagoram rex affectus esset, nō alios latere uoluit. Videtur
enim maius studiū in bello quod in Cypro gessit, quàm reliquis omnibus adhibuisse. Ma-
iorem enim & grauiorē illum aduersariū, quàm Cyrum, secum de regno certantes arbitra-
batur. Illius enim audiens apparatus in tantū contempsit, ut ipsius negligentia parum ab-
esset quin ab illo regia occuparetur. Istius autem uirtutē tantū timuit, ut ei inter ipsa benefi-
cia, quibus ab illo quotidie afficiebat, bellum inferret, iniuste quidem faciens, haud tamen
omnino rebus suis malè consulens. Sciebat enim multos Græcos & barbaros ex humilib.
rebus ac nullius penè momenti, maxima saepe imperia quæsiuisse. Sentiebat autē Euago-

*Græcia Euago-
re opera libera-
ta.*

Hocratis

C ræ magnitudinē, & in quantū nominis & gloriæ paulatim accreuiſſet. Videbat enim inſuperabilem habere naturā, & fortunā ei aspirantē animaduvertebat. Itaq; nō propter ea quæ facta eſſent iratus, ſed de futuris timēs, nec tantū de Cypro, ſed de maioribus etiā ſolicitus, ei bellū intulit. Tantis enim apparatibus in eum irruit, ut in ea expeditione plus q̄ quinquaginta millia talentorū cōſumeret. Euagoras tamen q̄uis copijs uiribusq; inferior eſſet, tam ingentibus apparatibus ſuā prudentiā opponens, in his magis admirandū, q̄ in alijs quæ dicta ſunt, ſe oſtendit. Etenim donec ei in pace uiuere licebat, ſua ciuitate contentus fuit. Poſtq; uerò bellare coactus eſt, talē profectō ſe præſtitit, talēq; Protagorā adiutorē filiū habuit, ut parū abeſſet quin totā Cyprū in ſuam ditionē redigeret. Phœniciā depopulatus eſt, Tyrum uicē cepit, Ciliciā fecit à rege deſciſcere. Tot uerò inimicos perdidit, ut multi Perſarū ſuas lugentes calamitates, uirtutū illius recordarent. Sic demū eos bello ſatiāuit, ut cum antea reges nō prius quā eorū domini forent, cum his qui ab eis deſciuiſſent recōciliari cōſueuiſſent, hac lege & cōſuetudine ſoluta libenter pacem amplexi, haud quicq; de imperio Euagoræ permutarēt. Et Lacedæmonijs quidē rex, quorū ea tēpeſtate maxime & uires & gloria erāt, infra tres annos imperiū abſtulit: cū Euagora uerò decē per annos bellū gerēs, eorundē quibus & ante bellū ſuſceptū potiebat, eum dominū reliquit. Quod autē omnīū maximē admirabile uideſ, urbem quam Euagoras altero regnāte quinquaginta cum uiris ceperat, hanc magnus imperator cum tantas uires tantosq; exercitus haberet, capere non potuit. Atqui quonam pacto aliquis manifeſtius fortitudinē, prudentiā, uniuersam deniq; Euagoræ uirtutē, quā his præclaris facinoribus & periculis oſtendere poſſet: nō enim ſolum alia bella ſuperaffe uideſ, uerum etiā id quod & heroēs geſſere, & apud omnes gentes celebraſ. Illi enim cum uniuersa Græcia ſolam acceperet Troiam, iſte uerò unā ciuitatē habens, cum tota Aſia bellum geſſit. Itaq; ſi eum tot rerum ſcriptores quot illos, laudare uoluiffent, multo maiorē quā illi gloriā reportaret. Quē enim eorū qui tūc temporis fuere, ſi fabulas dimittere, ac ueritatē cōtemplari uolumus, inueniamus unq; talia feciſſe: uel quē tam uarios caſus, uariasq; rerum mutationes ſubiſſe: qui ſeipſum ex priuato tyrannū conſtituit, ſuumq; genus quod totū ex repub. expulſum erat, in decentes honores reduxit: ciues uerò ex barbaris Græcos, bellicosos ex imbellibus, ex inglorijs deniq; effecit glorioſos. Tantā uerò regionē cum feram & immanē accepiffet, mitē & manſuetam reddidit. Ad hæc, ſic regis inimicitias honeſtè ultus eſt, ut bellū in Cypro geſtū, ſemper memorabile futurū ſit. Cum uerò eius ſocius fuit, tanto utiliorē ſe alijs præſtitit, ut cōſenſu omnīū in naua li pugna, quæ circa Cnidum cōmiſſa fuit, maximo illi adiumento foret. Qua peracta, totius Aſiæ dominus conſtitutus eſt. Lacedæmonij autem qui antea Aſiam uariare uolebant, de proprio ſolo periclitari coacti ſunt. Græci uerò pro ſeruitute libertatē habuere. Athenienſes quidē in tantū creuere, ut hi qui prius eis dominabant, eos adirent, imperiumq; traderent. Quapropter ſi qs me interrogaret, quid ex rebus ab Euagora geſtis maximū eſſe putem, utrum curas apparatusq; cōtra Lacedæmonios, ex quibus ea quæ diximus facta ſunt, uel poſtremū bellum, uel regni adeptionē, uel totam rerū diſpoſitionē, in multa profectō ambiguitate cōſtitueret: nā quocūq; oculos mentis inijcio, id mihi & maximū & admodū mirabile uideſ. Itaq; ſi aliqui ueterū propter uirtutē immortales fuere, arbitror illū hoc munere maximē dignū eſſe, coniecturis utens quod illis & fortunatiorē charioremq; dijs uitā duxit. Semideorū enim q̄ plurimos inueniemus in maximas calamitates incidiſſe. Euagoras uerò principio nō ſolum ualde mirabilis, uerum etiā beatiffimus fuit. Quid enim felicitatis ei abſuit, qui talibus maioribus ortus eſt, quales nemo habuit, niſi ſi quis eadem ſitip fuerit procreatus: Tantū uerò corporis animiq; uirtutibus cæteris præſtitit, ut nō ſolū Salamina, ſed etiā totius Aſiæ imperio dignus uideret. Regiā uerò dignitatē honeſtiſſimē adeptus, in ea uitā finiuit. Mortalis autē cum eſſet, memoriā reliquit immortalē. Tantū enim temporis uixit, ut neq; expers eſſet ſenectutis, neq; particeps morborū quos illa ætas afferre ſolet. Præterea nec id quod rariffimū atq; difficillimū eſt, bonos ſcilicet multosq; habere filios, ei defuit: & quod maximū eſt, eorum neminē obſcuris nominibus reliquit, ſed hunc quidem imperatorē, hos autem reges, illas uerò reginas appellatas. Itaq; ſi aliqui poëtarū cum aliquem ſummopere laudare uellent, dicerent illum nō mortalem, ſed deū inter mortales, aut dæmona quendam extiſſe, hæc omnia profectō meritō de illius ingenio dici poſſunt. Multa igitur puto me reliquiſſe, quæ de Euagora memorari potuiſſent. Nam me & orationis & ingenij uires deficiūt, quibus diligētius & ſtudioſius has laudes tractare cōueniebat: nō tamen impræſentiarū pro meis uiribus illaudatū reliqui. Ego autē, ô Nicocles, corporū imagines pulchra quidē monumēta eſſe iudico, ſed multo digniores illas quæ res geſtas

*Epilogo ſumma
tim uitā pſtrin-
git omnem.*

*Redit ad Nico-
clem, quæ uerè
immortalia ſunt
monumēta de
monſtrans.*

A gestas & mentē expresserint, quas in orationibus solū quæ arte sunt cōpositæ, cōtemplari licet. Has enim illis præferendas censeo, primū quidem quod uideo honestos & probos uiros nō tam pulchritudine corporis, quā rebus gestis & earū memoria gloriari. Deinde, quia stultas necesse est illis solū adesse, apud quos erectæ sunt; orationes uerò per uniuersam Græciam, per quæ gymnasia philosophorū dissipari possunt, à quibus amari & approbari quæ à reliquis omnibus longè præstat. Ad hæc, quod nemo sculpturis & picturis naturā corporis facile assimilari; mores autē & mentes ex oratione (nisi socordes quàm seduli esse maluerimus) facile imitari possumus. Quam quidem ob rem, orationē hanc scribere potissimū sum aggressus, existimans tibi tuisque liberis, aliisque qui ab Euagora nati sunt, hanc fore adhortationem honestissimā, si quis illius uirtutes in unū cogens, easque uerbis exornans, uobis inspiciendas, & imitandas præberet. Nam cum quos ad philosophiam hortari uolumus, alios laudare solemus, ut æmulatione eorū quos laudamus, eadem studia concupiscant; ego autē nō alienis, sed domesticis exemplis utens, te tuosque hortor ut mentē adhibeas, atque enitare qui & agendo & dicendo uerè te græcū præstes. Nec me existimes uelim, quia sapius eadem admono, te negligentiam arguere: neque enim uel me, uel alios latuit, quod solus & primus eorū qui imperio ac diuitiis delitiisque uiuunt, summo studio philosophiæ operam tradis; neque quod multos reges tuæ eruditionis æmulos efficies, qui hæc tua affectates studia, ea aliquando sunt relicturi, quibus impræsentiarum summopere gaudent. Sed tamen hæc sciens nihilominus & facio & faciā id quod in gymniciis certaminibus facere solent spectatores; illi enim nō cursores eos qui relinquunt, sed qui de uictoria certant adhortant. Meū autē est & aliorū amicorū talia dicere & scribere, quibus te excitemus ad ea sectanda, quibus iam antè auidus incumbis. Tu uero fuerit nusquam deficere, sed quemadmodū nūc agis, ita reliquo tempore curā habere, tuūque ita exercere animū, ut & parente & maioribus tuis nō indignus uideare, quorū prudentiā omnes admirari decet, uosque præsertim qui in imperio estis constituti. Oportet igitur nō acquiescere, si præsentibus melior existas; sed indignari, si tali ingenio præditus, & antiquitus à Ioue, nuperrimè uerò à tam præclaro uiro genitus, non multū & alijs, & illis qui in æqualibus tecum honoribus sunt, præstare uidearis. Hæc autē ut ita cōsequere, in teipso consistet. Si enim philosophiæ studio incubueris, & quemadmodum haecenus, proficere perrexeris, talis nempe qualem te esse oportet, celeriter euades.

Pomponius Atticus.

CORNELIO NEPOTE AUCTORE.



OMPONIUS Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuò à maioribus acceptā equestrē obtinuit dignitatē. Patre usus est diligente, indulgente, & ut tum erant tempora, ditī, in primisque studio literarū. Hic, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis quibus puerilis ætas impartiri debet, filiū erudiuit. Erat autem in puero præter docilitatē ingenij, summa suauitas oris ac uocis, ut non solum celeriter acciperet quæ tradebant, sed etiā excellenter pronunciaret. Qua ex re pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque explendebat, quæ generosi cōdiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo, quo in numero fuerūt L. Torquatus C. Marij filius, & M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, ut nemo his perpetuò fuerit charior. Pater mature decessit. Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpitij, qui tribunus pl. interfectus est, nō expers fuit illius periculi. Namque Anitia Pōponij consobrina nupserat M. Seruio fratri Sulpitij. Itaque interfecto Sulpitio, posteaque uidit Cinnano tumultu ciuitatē esse perturbatam, neque sibi dari facultatē pro dignitate uiuendi, quin alterutrā partē offenderet, dissociatis animis ciuiū, cum alij Syllanis, alij Cinnanis fauerent partibus, idoneū tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se cōtulit. Neque eo secius adolescentē Mariū hostem iudicatū iuuit opibus suis, cuius fugam pecunia subleuauit. Ac ne illa peregrinatio detrimentū aliquod afferret rei familiarī, eodem magnā partem fortunarū traiecit suarū. Hic ita uixit, ut uniuersis Atheniensibus meritò esset charissimus. Nam præter gratiam quæ iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam leuauit. Cum enim usurā facere publicè necesse esset, neque eius conditionē æquam haberēt, semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram ab ijs acceperit, neque longius quàm dictum esset, debere passus sit. Quod utrunque erat ijs salutare: nam neque indulgendo inueterascere eorū æs alienū patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc of-